



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.
Emanuelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

Rodrigues, Manuel

Lvgdvni, 1621

A.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41743



COMPENDIUM
QUESTIONVM
REGVLARIVM R. Patris
Emanuelis Roderici, ordine
Alphabetico per Aphorismos
digestum.

A B B A S.

*Vide Agere, Alienare, Altaria,
Beneficium, Benedicere, Sepul-
tura; Studium.*

BENEDICTIO Abba-
tis non est iterabilis, sicut
nec multa Sacramentalia,
vt benedictio nuptialis, &c. Se-
cus est de benedictione Abbatissæ
Iogè minori & simpliciori: hac enim
mutato Monasterio licitè iteratur,
secundum Bonifacium, qui fuit Au-
ditor Rotæ, & Felinum. *tom. 1. qu. est.*
12. art. 3.

Benedictio Abbatis, non est
A adeò

adeò necessaria, quin sine ea electus omnibus & singulis honoribus præ eminentiis, priuilegiis, prærogatiuis, iuribus, & insigniis Abbatialibus, benedictio competentibus, gaudere queat, *ex concessione Eugenij 4. & Iulij 2.*

Imò & minores Ordines conferre, non secus, quam si illi benedictionis munus fuisset impensum, *ibidem, art. 2. & 4.*

Potest Abbas populum solemniter benedicere in Ecclesiis sibi pleno iure subiectis; aliis autem in locis non, nisi ex priuilegio speciali, *quæst. 18. art. 1.*

Et minores Ordines, non Obstante defuetudine, etiam longi temporis: ex concessione facta Cisterciensibus conferre, sed subditis tantum, *ut resoluit Conc. Trid. ibid.*

Vnde si Monachus etiam cum licentia proprij Abbatis, ab alio ordinetur, licet characterem recipiat, non consequitur tamen liberam suscepti Ordinis executionem.

Innocentius 8. dedit etiam aliquando prædictis Cisterciensibus facultatem Diaconatum, & Subdiaconatum

A B B A S. 3

conatum conferendi: sed hoc postea reuocauit *Concilium Tridentinum*, ac proinde nequeunt vti hoc priuilegio, vbi *Decreta Concilij* sunt recepta *art. 3. & 4.*

Possunt tamen vbique dare suis subditis dimissorias, eosque mittere ordinandos ad quemlibet Episcopum, prout concesserunt *Leo 10. & Paul. 3.* Id enim non est contra *Concil. sacra Cardinalium Congregatione* ita declarante. *art. 5.*

Abbas cōmendatarius perpetuus omnia illa in actibus capitularibus licitè exequitur; quæ proprius; quādoquidem fit verè Prælatus. *tom. 2. quæst. 52, art. 8.*

Quamuis iuxta mentem *Concil. Trid.* non deceat talem præfici, qui non est professus in eodem Ordine, *art. 9.*

A B B A T I S S A.

Vide Eligere, Suspendio, Visitare.

Abbatissa non dicitur Prælata, Acùm sit incapax iurisdictionis spiritualis. Et hinc fit, quòd nequeat suis præcepta spiritualia imponere, vt Prælati Religiosorum,

A 2 sed

4 ABBATISSA.

sed tantum ciuilia, sicut matres familias. Et idem est iudicium de aliis matribus Sanctimonialibus perfectis. *tom. 1. quest. 12. art. 2.*

Promissa obedientia sororum, intelligitur secundum potestatem Abbatissæ. *quest. 1. art. 1.*

Abbatissa ex iure communi debet habere, antequam præficiatur 40. ætatis annos, & 8. professionis, vel saltem excedere 30. ætatis, & 5. professionis, *ex Conc. Trid. Idem censendum, de Priorissa vel quocumque alio nomine Præfecta, vel aliàs Præposita cuiuscumque Monasterij Monialium. art. 3.*

Abbatissa perpetua bene dicitur, non autem triennalis. *quest. 12. art. 3. quest. 16. art. 3. 4. & 5.*

Vtraque tamen est incapax potestatis clauium; & spiritualis iurisdictionis propriè sumptæ: vnde infringens interdictum, vel suspensionem per illam latam, non incurrit irregularitatem, cum non sint proprii nominis censura. Potest tamen esse capax iurisdictionis spirituali similis, vt regendo suas Moniales, instituendo Clericos in Ecclesiis

ABBATISSA. 5

clesiis sibi subiectis, suspendendo ab officio & beneficio, subtrahendo præbendas, & lato modo interdicens. *quæst. 17. art. 12. & tom. 3 quæst. 65. art. 3.*

Obligatque eius præceptum, in materia sufficienti, clericos ad mortale. *tom. 3 quæst. 65. art. 5.*

Nulla iure conceditur Abbatis- sis, ut dispensent in votis suarum Monialium, aut ea commutent (licet id possint omnes Prælati) quia carent spiritali iurisdictione; sed bene ut ea irritent, cum maiorem potestatem Dominatiuam habeant in illas, quam pater in filios, aut maritus in uxorem, ut notat *Episcopus Angles*: nec peccant, si sine sua licentia emissa irritent absque causa, sicut nec petentes dictam irritationem *quæst. 25. art. 7. tom. 1.*

Monialis corrupta neque eligi in Abbatissam absque dispensatione Pape, *secundum Carderinum quæst. 64. art. 4.*

Quamquam illegitima sine vlla dispensatione eligi & præfici valeat, prout tenet communior Doctorum sententia. *quæst. 13. art. 22.*

6 ABSOLVERE.

Et quamuis opus esset dispensatione, illam sine controuersia possent Generales & Prouinciales Mendicantium concedere. *ibid.*

Absoluere quoq; Fratres.

Clemens Papa I V. concessit Generali & Prouincialibus Fratrum Minorum, vt possint absoluere Fratres suos, non tantum subditos, sed etiam forenses, ab omnibus censuris excommunicationis, suspensionis, & interdicti; etiamsi eas incurserint in contemptum clauium, idque ante vel post ingressum Religionis, & dispensare in irregularitate contracta ob celebrationem in aliqua censura, nisi adeo graues & enormes fuerint excessus, vt merito ad Sedem Apostolicam sint destinandi.

Peccat autem in contemptum clauium, qui non vult se submittere Ecclesiae auctoritati, credit tamen Ecclesiam habere eiusmodi auctoritatem, vt post *D. Thomam* & alios resoluit *A castro, to. 1. quest. 20. ar. 1. & 15.*

Item dicti Praelati possunt a Confessoribus, quos elegerint, ab omnibus,
à

ABSOLVERE. 7

à quibus ipsi absoluendi alios iurisdictionem habent, absolui. *ibid. a. 15.*

Præterea absoluere possunt Fratres nominatim excommunicatos, (si partim satisfecerint) tam in foro exteriori quàm interiori, vt declaravit *Pius V. art. 6.* etiam extra forum sacramentale. *art. 7.*

Sixtus 4. declaravit destinādos ad Sedem Apostolicam, pro absolutione, solos hæreticos relapsos, schismaticos, falsificatores literarum Apostolicarum, & deferentes arma ad infideles. Nec dictum priuilegium fuit reuocatum per publicationem *Bullæ Cœnæ. art. 9.*

Possunt etiam dicti Prælati subditos suos absoluere ab iniectioe manuum violenta in Clericum, etiamsi sit Sedi Apostolicæ reseruata, aut in claustro vel extra facta, *art. 12.*

Verum est tamen, quòd secluso omni priuilegio, facultatem non haberent absoluendi à crimine hæresis etiam occultæ, quāuis hæc potestas penes Episcopos propter munus inquisitionis resideat. *art. 10.*

Nec hodie etiam à peccato ex

8 ABSOLVERE.

simoniaca promotione ad Ordines contracto, aut censura inde secuta, ob rigorosam *Bullam Sixti 5.* contra male promotos, quæ reuocat circa hoc antea concessa. *art. 13.*

Nec Regulariter à peccatis in cōfidentiam priuilegiorum commissis, id est, quando ipsum Priuilegium est propriè subdito causa positua peccati, nisi imminet periculum aliquod spirituale: si verò solum tollat sollicitudinem, qua præcauerentur peccata, valida est simpliciter absolutio. *art. 16.*

Episcopi possunt per epicheiam alicui delegare potestatem absoluedi Monialem ab hæresi occulta, licet id sit contra *Concilium Tridentinum*, vel eam absentem absoluere ab excommunicatione, demandata alteri curam eandem absoluedi à peccato nulli reseruato sublata censura. *art. 11.*

Eandem habent potestatem Prælati circa nouitios Ordinis, quam ipsos professos. *ar. 21.* & Sorores sibi commissas. *art. 22.*

Item & circa eorum Nouitias; *art. 23.* necnon seruitrices Religiosas
seu

ABSOLVERE. 9

feu Conuersas profeflas manentes
extra claustra. *art. 29.*

Formam abfolutionis antiquam,
qua Prælati folent extra confeffio-
nem abfoluere Fratres ab omnibus
censuris & pœnis; approbauit *Cle-
mens 8. in Bulla Infirma mundi ætas,
anno 1592.* Quod intellige à pœnis
debitis peccatis. *art. 26.*

Abfolutio facta virtute priuilegij
ignorati valet per regulam iuris di-
centem: *Si non valet quod ago, vt ago,
ualeat vt valere potest.* fic enim est
interpretanda. *art. 25.*

Nulla confuetudine introduci po-
teft, vt Religiofus fine fui Superio-
ris licentia, eligat fibi Confeflorem
à quo abfoluatur, quod tamen Præ-
latos Ordinis, putà Generales, Pro-
uinciales, Priores, & Guardianos,
non comprehendit. *art. 28.*

Epifcopi habent de æquitate fa-
cultatem abfoluendi Fratrem ex-
emptum egentem abfolutione, de-
ficiẽte Prælato proprio, in permis-
fis tamen cafibus circa fuos fubditos
tantum; non autem in illis qui con-
ceditur Superiori eiusdem exempti
in eundem. *art. 29.*

*Absolui Fratres quomodo possunt. Vide
Reservatio casuum.*

Concil. Trid. adhortatur omnes
Regulares ad Confessionem &
Communionem singulis mensibus
faciendam, *tom. 1. q. 62. art. 1.*

Ad Confessionem autem venia-
lium tenentur tantum ex decencia
sui status. *ibidem.*

Statutum in quibusdam Ordini-
bus obligans Fratres ad singulis an-
nis semel omnia peccata sua alias
confessa, suo Prælato detegendum,
laudabile est; non tamen obligat sub
mortali. *art. 2.*

Similiter statutum aliquorū Or-
dinum præcipiens vt saltem semel
in vita fiat Confessio generalis à
multis Pontificibus confirmatum &
commendatum est. *art. 2.*

Fratres admissi à suis Prælatis ad
Confessiones Fratrum audiendas,
non censentur admissi ad Confes-
siones Monialium. *art. 5.*

Religiosi etiam itinerantes ne-
queunt confiteri Religiosis sui Or-
dinis, nisi à suis Prælatis licentiam
habuerint ad confessiones audien-
das. *ibid.*

Fratres

ABSOLVERE. 11

Fratres itinerantes licitè confitentur cuicumque Sacerdoti idoneo etiam sæculari, de licentia tamen expressa suorum Superiorum, *secundum Sylvestrum*; vel saltem rationabiliter præsumpta, prout tenet *Angles* alias non. art. 5.

Omnes Fratres & eorum priuilegiis gaudentes possunt absolui semel in vita, & in mortis articulo, & quater in anno diebus quibus maluerint, ab omnibus prorsus peccatis & censuris; & confessor, ac si esset actu Pontifex, impartiri plenariam indulgentiam per *Sixtum quartum*. Hæc Indulgentia licet semper sortiatur effectum in credito articulo mortis, data tamen semper reseruat pro ultimo articulo, ex *Eugenio quarto*. neque ad hoc obest defectus linguæ aut morbus lethargia dictus, sic declarante *Nicolao quinto*. & valet talis absolutio, etiam à Sacerdote sæculari impensa. art. 6.

Est autem articulus mortis, in quo probabiliter timetur, aut speratur mors à medicis, seu ab aliis viris cordatis, etsi non sequatur.

Ita

Ita Abbas. Nauarrus, & alij. art. 8.

Virtute dictorum priuilegiorum absolutus in articulo mortis, non tenetur, si non decedat, peccata reseruata iterum Superiori confiteri. *art. 8.*

Iisdem priuilegiis gaudent Moniales Sanctæ Claræ, quibus prædicti Fratres quoad absolutiones plenarias & Indulgentias certis diebus & vicibus consequendas, necnō dispensatione votorum ex leuitate fœminea emissorum, non minus quam si sua Sanctitas illas absolueret, aut cum eis in prædictis dispensaret, ex *Leone decimo, art. 10.*

Ultra vero prædictos dies absolui possunt Fratres & Sorores S. Claræ sub obedientia Fratrum Minorum de Observantia viuentes, plenariè ab omnibus peccatis & censuris, in Festis Domini Sabaoth, beatæ Mariæ, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Sancti Francisci, Sanctæ Claræ, Sanctæ Catharinæ, ac omnium Sanctorum; & per totam Hebdomadam Sanctam, de licentia suorum Superiorum. *art. 10.*

& 12.

Nota,

ABSOLVERE. 13

Nota, quòd in omnibus istis ab-
solutionibus, nec quoad Censuras
in foro conscientiae, neque quoad
Indulgentias, sed tantum quoad ca-
sus reseruos Superioribus Ordi-
nis, requiritur consensus Superio-
rum, *art. 11.*

Obserua etiam id quod Fratri-
bus Minoribus concessum est pro
suis solemnitatibus aliis Religiosis
mendicantibus, & eorum priuilegiis
communicantibus pro suis Festiui-
tatibus concedi; v. g. Dominicanis
in diebus Sanctis Dominici, & San-
ctae Catharinae de Senis; Augusti-
nensibus diebus Sancti Augustini &
Sanctae Monicæ, non S. Francisci, &
sanctae Clarae, *art. 10.*

Absolutio quoad seculares.

Religiosi presentati secundum
formam *Clementinae Dudum*, eam-
dem habent potestatem, quam Cu-
rati à iure, vnde possunt absoluere
omnes ad se venientes ab omnibus
casibus iure non reseruatis, cum
enim exempti sint ab Episcoporum
iurisdictione, nequeunt Episcopi
eorum restringere auctoritatem
seu

14 ABSOLVERE.

sed bene Parochorum. tom. 1. qu. 61.

art. 2.

Per Priuilegia summorum Pontificum concessa est facultas Religiosis sic presentatis absoluendi ab omnibus peccatis & censuris iure communi Episcopis reseruatis; nec non dispensandi in votis, in quibus ipsi possunt, art. 3. & hoc tam in suis Conuentibus, quam extra. articulo 4.

Imò per Bullam Pauli Tertij datã Patribus Societatis I E S V, & per communicationem adinstar aliis Regularibus, possunt Mendicantes absolvere ab omnibus casibus etiam Papæ reseruatis, exceptis Bullæ Cæne Domini. art. 5.

Et præterea absolvere ab omnibus excommunicationib. tam à iure quam ab homine etiam specialiter & nominatim latis, satisfacta tamen parte, aut præstita sufficiẽte cautione, quia his positis censentur rationabiliter Iudices auctoritatem cõcedere Religiosis iurisdictionem delatam habentibus, absoluendi ab excommunicatione à iure & ab homine. art. 6. & 7.

Et

ABSOLVERE. 15

Et hoc nō solum in foro poli, sed etiam in foro fori, & extra Sacramentum, vt docte resoluit. *Navarr.* & optimè declarant verba cuiusdam Bullæ *Py Quinti*, datæ in quodam Iubilæo anno Domini 1568. si bene perpendantur. Nec obstat quod priuilegia habeant (*auditis ipsorum concessionibus*) quia intelliguntur secundum dispositionem iuris, vt nimirum absolutio peccatorum fiat in confessione; censurarum autem fieri possit extra Sacramentum Pœnitentiæ, prout tenet *Armilla & Ledesma cum communi*, articulo 7.

Rectè tamen notat *Navarrus*, vt fidem faciat Confessarius, tradere debere absoluto scedulam coram Notario & testibus, ab eodem Notario subsignatam. *art. 6.*

Item absolui possunt percussores Clerici in casu saltem ad Episcopū pertinente, dūmodo satisfactio manifesta præmittatur, si sit possibilis, quia aliàs sufficeret cautio realis aut iuratoria. *art. 8.*

Prælati Regulares licèt eandem potestatem habeant in suos inferiores,

Et

riores, quam Episcopi in Diœcesano, nihil tamen attentare debent circa sæculares, in casibus speciali iure commissis Episcopis, ut sunt nonnulla expressa in *Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. art. 9.*

Ad prædictorum intelligentiam notandum ex præposito triplex esse forum, contentiosum, pœnitentiæ & medium, scilicet conscientiæ, quod à foro pœnitentiæ distinguitur, quia in eo potest esse Iudex tam non Sacerdos, quam Sacerdos, & absolutio facta in eo, fit in salutem animarum, ut valeat coram Deo, & non coram Ecclesia, ex *Conarru. art. 10.*

Supradicta priuilegia quorumcumque Regularium, quoad absolutiones sæcularium fuerunt reuocata per *Concil. Trident.* prout declarauit *Sacra Congregatio Cardinalium, super sess. 14.* Et ita etiam declarauit ex sententiâ *Congregationis summus Pontifex anno 1577.* Sed post dictam declarationem, *Greg. 13. anno 1583.* declarauit non esse suæ intentionis per talem reuocationem derogare Societatis facultati,

ABSOLVERE. 17

tati, eamque quatenus opus fit de nouo confirmavit, *art. 13.* Et per communicationem alij Mendicantes hac concessione securè vti possunt, *ibidem, quest. 55. art. 17.* Vide *Communicatio privilegiorum.*

Tenent multi Doctores, Regularem non præsentatum secundum formam *Clementina Dudum*, absoluentem sæculares ab excommunicatione minori, à qua ille solus absoluit, qui à mortalibus absoluere potest, incidere in excommunicationem dictæ *Clementina*: verumtamen contraria opinio magis recepta est, *quest. 61. tom. I. art. 11.*

Religiosus absolvens à culpa & à pœna, quod idem est, ac dare Indulgentiam plenariam sine speciali privilegio sibi actiuè, aut passiuè pœnitenti concessio, incidit in excommunicationem cuiusdam *Clementina, art. 17.*

Per *Bullam Cruciate* non tolluntur privilegia Regularium realia concernentia non personas, sed Ordinem; vnde eis liberè vti possunt erga non habentes illam *Bullam*,
 B etiam

18 ABSOLVERE.

etiam in iis locis vbi publicatur:
sed ea vtentes priuantur omnibus
aliis gratiis personalibus. art. 14.

Ad cognoscendum an aliquod
priuilegium sit reale aut personale,
debet attendi ad qualitatem nego-
tij quod conceditur, & ad causam
ipsius concessionis, *ibid.*

Regularis habita iusta causa, po-
test non vti aliquando priuilegio,
& pœnitentem remittere ad Supe-
riorem tam pro absolutione pec-
catorum, quam censurarum, cum
mens Pontificis concedentis pri-
uilegium sit, vt provideatur saluti
animarum, nec ipsi pœnitenti con-
fesso fiat iniuria, cuius conscien-
tiæ bonum hoc modo quæritur. Si
autem causa desit, & quidem ne-
gando dispensationem, peccat ad-
minùs venialiter, si verò absque ra-
tione peccatorum confessorum ab-
solutionem dare nolit, grauiter de-
linquit, & hoc quia sic onus con-
fessionis graue efficeretur. At verò
Episcopus sub obligatione præcepti
ex officio proueniente, semper ad
id tenetur. art. 15.

ACCV

ACCUSATIO. 19
ACCUSATIO.

Constitutiones Religionum concedentes Prælati, ut sine accusatore secreto, aut publice puniant suos subditos, intelliguntur de leuioribus: in grauioribus enim tenentur seruare ordinem iuris, cui non renunciant Fratres; nec procedere possunt sine præuia accusatione, etiam contra conuictos, nisi culpa sit cõmissa in præsentia Prælati coram testibus, vel contra reum adsint infamia & indicia: tunc enim procedere potest per viam inquisitionis; aut nisi velit procedere non ut Iudex, sed ut pater. *tom. 2. qu. 7. art. 2. & 3.*

Nullus accusare aut denunciare tenetur propter iniuriam sibi illatam, licet non sit illicitum id facere; debet tamen quilibet denunciare crimen damnosum Reipublicæ, si adsunt testes quibus probari sufficienter queat. Imò quandoque accusare, si notabile sit damnum Reipublicæ. *art. 4.*

Iudex etiam inferior accusationes non iuridicè propositas potest & aliquando debet rescindere, sicut

non admittere : accusationem tamen iustam , ad compensandam iniuriam tertio illatam propositam, minime rescindere potest. *art. 6.*

Licet denunciatus non teneatur ad probationem , nec incurrat pœnam talionis , si in probatione causæ deficiat , sicut accusans : peccat tamen mortaliter denunciando iudicialiter , præuidens probabiliter defuturam iuridicam probationem, *art. 8. & quest. 6. art. 9.*

Quomodo accusans & accusatus debeant esse eiusdem fori , & alia quædam etiam Clericis communia profequitur prædicta. *quest. 7.*

A G E R E.

Licet Monachus nihil habens proprij , nec agere , nec conueniri possit , hoc tamen fallit , quando est in studiis de licentia suorum Superiorum : tunc enim omnia illi licent , sine quibus in studio esse commodè nequit : vnde licet iure prohibeatur Monachus agere contra Abbatem , tunc nihilominus licitum est illi , saltem implorando iudicis officium , vt sibi sumptus
neces

ALIENATIO. 25

necessarij subministrantur, tom. 3.
quæst. 67. art. 6.

Quod si Syndicus Fratrum Minorum agat nomine Papæ pro Conuentu, & succumbat, verisimiliter potest ad expensas condemnari, cum vt talis habeat aliquid proprij. *ibidem.*

ALIENATIO.

Vide Procurator.

Abbates & alij Pra'lati Conuentuales, qui non habent omnimodam iurisdictionem, nec Monarchicam administrationem rerum Monasterij circa alienationes, non possunt vlllo modo siue ad tempus, siue ad semper, res mobiles aut immobiles alicuius momenti absque euidenti necessitate, aut utilitate Conuentus, & consensu communitatis Capitulariter congregatæ, in scriptis obtento, alienare sub pœnis excommunicationis & suspensionis ex iure communi alias ius non transfertur, nec acquiritur dominium, sicut nec è contrà potest Conuentus quidequam alienare sine expresso Superioris

consensu. *rom. 1. q. 27. art. 2.*

Priuelegio factō Cistertiensibus omnē eiusmodi alienationem etiam cum dicta solemnitate factam, Generalis Ordinis habita causæ cognitione confirmare, & inuadare potest; secundum quod priuelegium sunt intelligenda multa alia concessa diuersis Ordinibus tam virorum quam fœminarum, quibus illis licet alienare etiam testamento legata, non obstante voluntate testatoris. *ibid.*

Ex priuelegio amplissimo Patrum Societatis I E S V, Generali pro tempore existenti, vel Capitulo item generali concessa est rerum omnium Collegiorum eiusdem Societatis dispositio, habita summarie tantum causæ cognitione, non obstante contradictione proprii Conuentus; vnde licitum est illis renunciare iuri, pro quo aliquis conuentus litigat; & legato nondum tradito, si expedire iudicet. Quod priuelegium aliis etiam Ordinibus communicatur, quamquam in eis sufficiat consensus Prouincialis. *art. 3.*

Hæc

ALIENATIO. 23

Hæc tamen fallunt in Ordine Fratrum Minorum, in quo Prælati nullam omnino habent facultatem alienandi, sed eorum dumtaxat Syndicus, qui nomine Papæ de voluntate & iudicio Prouincialis ac Conuentus eandem habet authoritatem ad alienandum, quàm alij Prælati Conuentuales aliorum Ordinum; vnde de bonis communitatis habito consensu ministrorum potest parentibus aut amicis alicuius Fratris aliquid donare, *art. 6. Vide Procurator.*

Alienatio rerum Monasterij facta cum eius notabili læsione, & sine solemnitatibus iuris, *ut supra*, nulla est saltem in foro Ecclesiæ, & obligat emptorem ad restitutionem etiam fructuum, nec contra talem rem præscribitur, licet bona fide emptam, *art. 10. nisi post centum annos. tom. 3. q. 56. art. 2.*

Graues pœnas statutas à Clemente quinto, & Paulo secundo, in malè alienantes res Ecclesiasticas, & eos quibus alienantur, *vide articulo 13.*

Monacho relegato in aliud Cœnobium ob delictū inter possidentes tenetur subministrare alimenta Monasterium, cui acquisiuit, vel attulit bona: at si nihil attulerit, tenetur Superior, cui subiectus erat dum deliquit. In Ordine verò Fratrum Minorum; tenetur Guardianus Conuentus ad quem relegatur. *tom. 2. quæst. 24. art. 2.*

ALTARIA.

Vide Missa.

Mendicantes postquam bis aut ter Episcopum Diœcesanū rogarint pro consecratione suorum Altarium, si Episcopus aut Sedes vacans ad id licentiam dare noluerit, possunt alium quemlibet Orthodoxum Antistitem adire ex privilegio Sixti V. non reuocato per *Concil. Trident.*

Sufficit tamen quodd superior mensa ipsius Altaris seu Ara, super quam fit consecratio, & reponitur Corpus & Sanguis Domini nostri IESU Christi, sit lapidea, & habeat eam latitudinem, vt possit capere hostiam, & maiorem partem calicis,

els. tom. 1. quest. 28. art. 1.

Abbatēs Cisterciensēs ex concessione *Innocentij VIII.* accepto Chrismate ab Episcopo, possunt in suis Ecclesiis tantum Altaria consecrare, nullo tamen modo pro aliis sine expressa licentia Episcopi. Ex *Concil. Trid. art. 2.*

In partibus Indiarum Prouinciales Patrum Iesuitarum, & Fratrum Minorum, necnon ij quibus ipsi commiserint, Sacramentum Confirmationis fidelibus ministrare, & benedicere Calices & Altaria possunt, etiam pro vsu alieno. Ex concessione *Adriani VI. & Leonis X. ibidem.*

Mendicantibus itinerantibus concessum est celebrare in locis honestis in Altari portatili, per plura priuilegia, quæ non reuocat *Concil. Trident.* Licet velit ut id Episcopi prohibeant, non obstantibus quibuscumque priuilegiis, ac proinde illis scientibus, & non prohibentibus saltem in foro conscientie licet *art. 3.* Sine præiudicio Ecclesia Parochialis, quod iuxta declarationem *Sixti IV.* in duobus consistit,

in exactione decimarum, & primitiarum. *tom. 2. quest. 75. art. 1.*

Olim fuit permissum ab *Alexand. VI. & Urbano V.* Regularibus erigere Altaria in suis grangiis, cellariis & infirmariis ad celebrandum, & diuina peragenda: sed *Conc. Trid.* Episcopis mandat, vt non permittant Missam celebrari *extra Ecclesiam*, in domibus priuatis, per quod non intelliguntur Oratoria, Capellæ, Altaria portatilia, in grangiis vel infirmariis Monasteriorum, cum non sint omnino *extra Ecclesiã*: nam veniunt intelligenda nomine *Ecclesiæ. ibidem.*

APPELLARE.

FRatres mendicantes sub pœna excommunicationis prohibentur à *Iulio II.* appellare: quod intellige seruatis statutis Ordinis cum debita maturitate & deliberatione: nam si Superior malè procedat, aut excedat modum correctionis, permissum est eis iure naturali, cui non contradicit Canonicum: & si diffugium appellationis eis esset interclusum, licitum esset vti remedio
de

APOSTASIA. 27

defensionis, quæ est quædam species appellationis, & est iuris naturalis, quia non debent esse peioris conditionis quam alij, nec hoc derogat statui perfectionis eorum, si fiat religioso modo differenter à sæcularibus, vt dicitur in iure. *tom. I. quæst. 29. art. 2.*

Gregorius XIII. sub excommunicatione Papali prohibuit Fratribus ne ad sæcularia Tribunalia appellent, sed ad Suos Superiores gradatim vsque ad Papam, & hoc non est prohibitum per *Conc. Trid.* sed tantum ne Religiosus ad maiorem Superiorem recurrat, nisi ab eo vocetur, aut à minore licentiam obtineat. *art. 3.*

APOSTASIA.

Vide Claustrum.

Solet triplex assignari apostasia, à fide efficiens hæreticum, ab obedientia Ecclesiæ efficiens schismaticum, & à religione seu Ordine. Ultima requirit egressum à Conuentu cum dimissione habitus ad semper; ac proinde è Monasterio egressus etiam dimisso habitu, vel

vel illo retento cum proposito aliquando redeundi, aut strictiorem vel laxiorem Ordinem intrandi excommunicatus quidem est, diciturque fugitiuus, sed non incurrit alias pœnas, & inhabilitates apostatis proprias. *tom. 1. quæst. 30. art. 1.*

Resoluit item *Sacra Congregatio*, ferentem habitum occultè, non esse propriè apostatam, nec incurere aliam pœnam quam excommunicationis. *art. 2.*

Imò nec vllas pœnas incurrunt qui notabiliter laesi à suo minori Superiore, non possunt ab eo licentiam obtinere conueniendi maiorem, talibus enim permissum est iure appellationis eos adire absque licentia, cum non intendat *Concil. Trid. sess. 25. de Reg. c. 4.* tam notabiliter lædere Fratrem, maxime si constat de iniustitia grauaminis: nam hoc admodum consonum est iuri naturali, & idoneum ad hominum malitiis obuiandum. *art. 3.*

Episcopo, iuxta *Conc. Trid.* licet procedere contra apostatas fugitiuos & vagantes Regulares sine vel cum habitu, in suo territorio. Quod
intel.

APOSTASIA. 29

intelligendum est, si iniuste faciant, non autem si cum causa, quamuis literas obedientiales minime habeant. *ibid. art. 4.*

Tenentur Prælati & Conuentus capere ac detinere apostatas & fugitiuos vbicumque, etiam in Curia Romana, inuentos, siue dent operam rei licitæ, siue illicitæ; nisi timeatur damnum aut scandalum obuenturum ex cōsortio aliorum cum talione pestifera. Imo possunt illos incarcerare & excommunicare, ad hoc inuocato (si opus sit) auxilio brachij sæcularis, non tantum sibi subditos, sed etiam quoslibet alios eiusdem Ordinis, per multa priuilegia, *art. 5. & 6.*

Detinentes aut fauorem præstantes apostatis fugitiuis & vagabundis vt talibus, sunt ipso iure excommunicati etiam si sint clerici ex concessione multorum Pontificum. Secus est, si solius amicitie gratia illos detineant, *art. 9.* Dicti fugitiui non quidem de rigore iustitiæ, sed de æquitate religionis, non solum si redeant sunt recipiendi, sed omnibus modis procurare debent Superiores eorum

eorum

30 APOSTASIA.

eorum salutē, concedendo eis facultatem saltem transeundi ad alium Conuentum vel Prouinciam eiusdem Ordinis, vel etiam ad æqualem vel laxiorem Ordinem, vt sic perditis prouideatur, exemplo Christi, tam anxie & sollicitè ouem vnā perditam quærentis. *art. 10.*

Bona à regulari acquisita in apostasia modo licito secundū iustitiam moralē; at illicito secundum Canones, v.g. per officia publica, beneficia Ecclesiastica, seruitia in curiis Principum, artes mechanicas, negotiationem, &c. si decedat in Ordine, sunt monasterij ad quod reuertitur, potestque de iis disponere Superior & Syndicus, sicut de legatis piis: si verò moriatur extra Ordine, sūt Camera Apostolica. *a. 11.* Cum acquisita contra sacros Canones à Clericis & regularibus, veniāt nomine spoliatorū. *art. 13.* Nec possunt creditores esse molesti Monasteriis dictorum apostatarum, ab eis petēdo & extorquendo debita ab illis cōtracta, nisi id, propter quod debitum contractum fuit, conuersum sit in utilitatem ipsorum monasteriorum. *ar. 11.*

BAPTIL